



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Extemporalia quoque reuocat ad certum tempus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

ratione ea quàm optimè faceret. Exempli gratiâ, quemadmodum somnum repeteret; quo modo aut in lectulo se collocaret, aut ex eo surgeret; quo se studio ad orandum & ad

*provisas  
habebat  
actiones  
suas om-  
nes.*

commentandum præpararet; quâ religione Sacris interesset, aut ad sacra obeunda mysteria se compararet; quâ curâ in conscientiam quæreret; quâ denique sollicitudine rem quamlibet aliam (quam quidem certum sciret abs se esse procurandam) administraret: adeoque designauerat scripto, quo potissimum fine, quo tempore, quibus adiunctis ea res agenda esset, ut quando constitutum rei suscipiendæ tempus aduenisset, eam rem præstaret tamquam præcogitatam, omnium perfectione; ut ex calce libri huius constabit: cui exempla nonnulla subijciam earum actionum, quas ipse certâ ratione faciendas scripto definierat. Ad hæc, per summam illam vigilantiam sublimiùs denique eniti studuit, ut non solum eas res, quas indubiè certoque administrare deberet, verum etiam incerta extraordinariaque negotia ad ordinem ac tempus suum reuocaret; ne improvisis umquam rebus priùs opprimeretur, quàm ad eas ipse prudens paratusque accessisset. Exemplum ab eo litteris mandatum reperio in hæc verba: *Si hoc illudve euenerit, tum hoc illudve faciam: si hac illave de re in-*

*Extempo-  
ralia quo-  
que reuo-  
cat ad cer-  
tum tēpus.*

*terro-*



*terrogatus fuero, illâ istâve ratione respondebo.*  
 Eâ re semper loquebatur agebatque præcogitatio, vitabatque omnem culpam. Rogatus igitur aliquando à commilitone, ecquid faceret, quò numquam verbis peccaret; *Numquam,* aiebat, *nisi præfinitò verbum facio, ac Deo prius commendatum, ne quod illi ingratum proferam.*

*Custodia  
lingua.*

Tertium, quo plurimum proficiebat, fuit linguæ (de quâ iam dici cœptum) custodia; cuius ferè vitio homines vulgò prolabantur; vt perfectus meritò æstimetur, qui sermone non peccat. Ioannes igitur nihilo in vitâ constantior, quàm verbis cautior, tam erat in loquendo circumspectus, vt nullum vniquam eius ab ore verbum sit exceptum, quod non aut necessariò, aut vtiliter, aut honestè fuerit pronuntiatum. Atque vt diuersa sunt Societatis nostræ, quæ sermonem spectant, præcepta, Ioannes, nullo prætermisso, obseruabat vniuersa.

*Silendi con-  
stantia.*

Iuuenis erat verborum parcus, eaque, quibus parcè utebatur, ferè erant præcogitata, priusq; ad limam vocata, quàm ad linguam. Numquam, ne leuiter, violasse silentij legem visus; neque in Collegio eâ legis indulgentiâ vsus, quâ paucis obuium compellare fas est. atq; hoc nomine mirum videri possit (cùm ad eò esset abstinens sermonis, & in se abductus)

tam